

menti, & tunc non coincident, quia maxima pars materiarum in crisi electa est. His igitur intellectis omnes autoritates concordes sunt. Cum autem dicimus, Coctio praecedit statum, quia crism bonam: dico, quod praecedit, aut simul sit: & seu praecedat, seu simul fiat: ambae tamen, tam crisis, quam coctio instantis morbi tempore fiunt: sed coctio in prima parte, & crisis in secunda. In crisi au-

tem augmenti non praecedit perfecta coctio, cum hoc tamen contingit, quod perfecta fiat crisis: non iuxta verum significatum crisis, sed iuxta illud significatum verae crisis, quae est cum tota materia propulsa ex corpore æger perfecte liberatur, nec morbus amplius reuertitur, & in hoc significato dicit Galenus tertio de Crisi, crism fieri solam in statu, vel parum ante.



TRACTATVS SEXTVS.

CONTRADICT. I.

Veran in tres partes diuidatur.



R I M V M Veris initium Hyemi similius est, finis autem æstati: quamobrem sic ver diuidemus, quod Hippocrates indiuisum reliquit: prima Aphorismorum Galenus inquit, nec hyemis diuisit. At primo Epidemiorum hæc habet quæ ab Hermano Crusero corrupta sunt, atque inuersa: Principium veris secundum æquinoctium est: finis autem, qui & æstatis initium, Pleiadum ortus. Æstatis autem finis Arcturi ortus antecedens autumnale æquinoctium diebus duodecim. Occasus autem Pleiadum ut autumni finis, sic hyemis initium. Post pauca autem in hanc sententiam verba subiicit: Si quatuor tempora in differentias iuxta illorum magnitudinem disces. Æstas in duas, Hyems in tres partes diuidetur. Quæ anni temporum diuisio ex ipsorum spatio efficitur. Est enim inter Vergilias & Arcturum tempus mensum quatuor. Plurium etiam quam quatuor quod inter Vergiliarum occasum & æquinoctium vernum interest. Veris autem tempus nec duos integros menses habet, quo sit ut iure indiuisum relinquatur. Hinc etiam Autumni erat tempus, Veris maius quod in duos menses extenditur: hoc tamen ab æstatis ac hyemis tempore magnitudine longè superatur. Et ante etiam Hippocratis nomen præferens liber de septimanis annum habet in septem diuisum partes: æstate quidem in duas, hyeme in tres partitis: vere autem ac autumno manentibus indiuisis. Sic è directo pugnat hæc cum priore in Aphorismis sententia: cum ibi, ut dixi, diuisio vere hyemæ relinquat indiuisum: hæc diuisa hyeme ver relinquatur integrum. Sed facile hoc dissoluitur impedimentum: in Epidemias tempora diuidit penes longitudinem spatij stellarumque nobilium exortus occasusve, tum etiam naturæ temporum in eadem qualitate differentiam excellentem: nam æstatis secunda pars quam exortus Canicula inchoat, siccissima est, et si tota æstas sicca sit: & pars prima hyemis quam sementem vocant, & ultima quam vernalia longe minus frigidæ sunt media

com. 15. in fi.
par. 1. com. 1.

parte, quæ solstitio hyemali usque ad Faunij flatum extenditur, cuius non meminit Galenus. Sed in Aphorismis cum vicuum penes tempora instituat calida, frigidæ, paruit ut ver quod prima parte frigidum hyemi erat affine, & reliqua postrema scilicet, calidum arque æstati contiguum diuidetur. Atque ex hoc licet contrariis vicibus pariter autumnum diuisum etiam in duas partes intelligeremus. Hyems igitur cum esset tota frigida, & æstas tota calida, nulla ibi diuisione indiguerunt. Tametsi de his aliis locis, tum in libris astronomicis qui æditi sunt plura dixerimus: septem tamen tempora iuxta medicorum sententiam nostro æuo sic distinguemus, variantibus syderum occasu atque ortu non solum, sed etiam solsticiis atque æquinoctiis. Veris initii igitur die x. Martij, finis & initium Æstatis v. II. Maij. Initium Oporæ secundæ partis æstatis x. III. Iulij. Æstatis finis & Autumni initium xxv. III. Augusti quamvis Arcturus pluuiosus xv. III. Septembri exoriatur. Autumni finis & Hyemis initium xxvi. Octobris, cum Vergiliæ crepusculo oriuntur, nam illarum occalus matutinus fit die vii. Novembris. Inde xi. II. Decembris secunda pars Hyemis inchoat, cuius finis atque vernalia initium quinta dies est Februarij, cum Canicula vesperi exoritur. Clarum enim sydus aquilæ xx. III. Ianuarij vesperi occidit, multò ante Fouonij flatum nostra ætate. Et hæc ex Francisco Syrigato.

CONTRADICT. II.

Virtute debili existente, & humoribus prauis, an parum de cibo dandum, & reliqua.

E T quibus semel aut bis cibus dandus in die sit considerandum, prima Aphorismorum, & in commento: Si vires laborantis debiles fuerint & ea quæ in corpore est dispositio sit ex humorum corruptione vel defectu, parum ac sèpius de cibo dandum erit. Si autem cum virum debilitate neque defec-
tus fuerit, nec corruptio, sed humores moderati, aut etiam abundantes, his raro, & pauca. Si autem cum humorum defectu, corrup-
tionē vires validæ fuerint, sèpe ac mul-
tim

Aphor. 17.